

1809

C A S U I S T I C I.

1810

Longius me provexit *Claudiani* numerus, qui usque ad prolixi Operis finem Nostrum non destituit, dignum sane, qui in *Historia Poetarum med. aevi* locum haberet, si modo innotuisset *Lysero*. Sed primus eum demum prodidit solertissimus *Bern. Pezius* T. III. *Thef. Anecd.* P. III. p. 629. e Cod. *Benedictoburano*, in quo *Rudolfus de Lubeck* audit; Opus vero perfectum dicitur a. 1323. Est tamen, quod de hujus Subscriptionis sinceritate dubitem. Codex noster amplo Commentario tam inter lineas, quam per margines pollet, minuto quidem, multisque compendiis implicito charactere; legas tamen fol. 1. *Causa efficiens fuit Dominus Ruodolfus quidam nobilis vir de liebeg Canonicus ecclesie majoris Constancie*, et magis infra idem Cognomen *de liebeg*. Nomen *Rudolfi* familiare Helvetis. *Liebeck* arx in Comitatu *Lenzburgiensi*, unde nobilis Familia nomen duxit. A. 1309. *Rudolfus de Liebeck* Canonicus Eccl. colleg. Monasterii *Beronis* (*Beronsmünster*) et a. 1323. Praepositus Eccl. colleg. Cellae Episcopi (*Bischofszell*) sub Episcopo *Constantiensi* memoratur *Stumpfio* in *Chron. Helv.* Nunquid igitur Poetam nostrum, pace *Lubecensis* Urbis, habemus, qui meritorum ergo a Praebenda Collegiata ad Cathedralē ascenderit? Id quod evictum dare possent vetusti *Canonicorum Catalogi*, si qui *Constantiae* etiam dum supersint.

DCCLIII.

Codex chartaceus lat. Sec. R. 2092
XIV. Folior. 62. f. per duas columnas luculente, sed multis vocum contractionibus exaratus, et glossis hinc inde adsperfus, minoque distinctus alterum est Exemplar *Pastoralis Novelli* mox dicti *Rudolfi*, cui Indicem praefixit Manus Sec. XV. quem Exemplar praecedens a prima manu ad calcem habet. Hic accedit Instructio: *De Confessione et primo de hereticis qui sunt excommunicati majori excommunicatione*, dein *Regule theoloyce utiles et infallibiles super audiendis confessionibus*, ut additur *F. Aug. Lombardi* Ordinis *S. Aug.* sed hae mutilae sunt, et *Italos* sine discrimine Nostris olim *Lombardos* dictos fuisse constat.

Ad Codicem compingendum adhibitae sunt Membranae II. e Synodo *Basileensi* datae a *Bernardo* *miseratione diuina tituli sanctorum Quatuorcoronatorum presbitero Cardinale Aquensi uulgariter nuncupato* in absentia *Nicolai* *Card. Panormitani* Majoris *Poenitentiarum* a Synodo deputati. Ad purpuram a *Felice* Antipapa euectus fuerat hic *Bernardus Gallus* O. S. B. Ep. *Aquens.* eamque deinceps respuisse dicitur a *Ciaconio* T. II. col. 940. qui titulum *SS. Nerei et Achillei* eidem assignat. Membrana priorē committitur *Abbati de Clarecampo* Ord. *Cist. Dioec. Traiect.* Inquisitio rixae letalis inter 2. Clericos. a. 1445. Altera datur *Facultas Abbati Celle Angelorum* ejusdem Ord. *Dioec. Patavien.*

tavien. dispensandi in esu carniū extra claustrum cum Procuratore suo F. *Erasmo Praitenawer* anno 1444. Utraque correctā et limata est.

DCCLIV.

U. 699 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 177. f. per duas columnas probe exaratus, et rubricis distinctus, quondamque, ut minio notatur in calce *Jenczonis Praepositi ecclesiae sanctae Crucis Wratisl. Curiae Archiep. Pragen. et apostolicae Sedis Legati Officialis, Summa Casuum Conscientiae* est, de qua rursus haec in calce legas: *Consumatum fuit hoc opus in Ciuitate Pyzana per fratrem Bartholomeum (a S. Concordio) ordinis predicatorum doctorem decretorum Anno Domini Mille. CCCXXXVIII die (de?) mens. decembris Tempore Sanctissimi patris et domini Domini Benedicti pape duodecimi. Predictus autem frater Bartholomeus compositor huius libri Optimi obiit Anno Domini M. CCCXLVII secunda die Julij cuius anima requiescat in Sancta Pace amen.* Habemus igitur *Summam* famosam dictam *Pisanam, Pisanellam, Magistrutiam*, auctam sequenti Sec. per *Supplementum Nicolai de Ausmo O. M.* concinnatam ad Alphabeti feriem, et sub artis initia saepius typis vulgatam, quae incipit a Prologo: *Quoniam ut ait gregorius super Ezechielem nullum omnipotenti deo tale sacrificium est*

&c. et deinceps a v. *Abbas* ad v. *Zelus* pertexitur. Agunt de Viro Bibliothecarii Ordinis, quibus dies obitus ejus ignotus fuit, T. I. p. 623. recteque monent, distinguendum esse ab *Bartholomaeo* itidem *Pisano de Albitiis O. M.* auctore vexati *Libri Conformitatum S. Francisci cum Christo.*

Adscripta est tardius *Forma absolutionis Concilij generalis Basilien. dat. An. domini M^o quadringentesimo tricesimo sexto XVIII kal. Maij.* Thecae vero posticae adglutinata est Depositio Testium juratorum in Curia, ut videtur, *Archiep. Pragenae* interrogatorum, utrum audiverint pro concione *Fratres Mendicantes* a celebri verbi Dei Praecone *Job. Militio Cremisriensi* dictos fuisse *Seductores* et *Deceptores*. Sunt vero hi *Pertlinus dictus kotmutir, Nic. dictus Panczer, Heinzlinus Zeydner, Otto dictus Pozenpach*, omnes *Cives Pragenses*, item *Sigbardus Magister Coquine Marchionisse*, et *D. Nicolaus Magister Curie Marchionisse*, quam an *Elisabetham Oettinganam* secundam *Jodoci March. Moraviae* conjugem habeam, nescio. Omnes negant, se id audivisse; addunt tamen, dixisse *Militium*: *Fratres* non habere auctoritatem excipiendi *Confessiones*, nisi literis *Archiepiscopi* munitos, seque illis, qui has literas ostenderint, non obstiturum. Unus adjecit dixisse: *Quod mulieres volunt esse viri, scilicet deferunt pennas in pileis.* De *Militio* ceterum alias dixi, et plura habentur in *Bob. Balbini Bohemia docta P. II.*